

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

| | |
|-------|------------------|
| add. | addidit |
| del. | delevit |
| fol. | folium |
| marg. | marginē |
| om. | omittit |
| [...] | additio |
| <...> | additio editoris |
| (?) | lectura incerta |

Liber 2, distinctio 38, circa 2, quaestio 3. (fol. 42va)

Utrum sit idem motus intentio finis et voluntas eius quod est ad finem?

Tertio quaeritur, utrum sit idem motus intentio finis et voluntas eius, quod est ad finem? Et videtur quod non, quia, *XI De trinitate capitulum 6*,² dicit Augustinus, quod voluntas videndi fenestram finem habet fenestrae visionem, et altera est voluntas videndi per fenestram transeuntes. Sed hoc pertinet ad intentionem, quod veli videre per fenestram transeuntes. Hoc autem, quod est velle videre fenestram, pertinet ad ea, quae sunt ad finem. Ergo alius est motus finis et eorum, quae sunt ad finem.

Contra, idem motus est ad medium et ad terminum in naturalibus. Ergo similiter in voluntariis, ergo, etc.

Respondeo, dicendum, quod motus voluntatis in finem et in hiis, quae sunt ad finem, possunt considerari dupliciter. Quia uno modo secundum quod voluntas fertur in utrumque secundum se et absolute, et sic sunt duo motus. Alio modo secundum quod voluntas fertur in ea, quae sunt ad finem propter finem, et tunc est unus motus, sicut volo potionem propter sanitatem una voluntas est. Unde finis est ratio volendi ea, quae sunt ad finem. Idem autem actus cadit super obiectum et rationem obiecti, sicut eadem est visio coloris et luminis. Sicut est etiam in intellectu et conclusionibus, quia est unum actum assentire conclusioni propter principia intellectus.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 2, q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Augustinus, *De trinitate* lib. 11, cap. 6.

Ad argumentum, dicendum, quod Augustinus loquitur quando voluntas fertur in fenestram et transeuntes absolute, et tunc bene sunt duo actus.